Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25941
Copyright: Admont, Benediktinerstift

suo animalia occidant. et donatori omnium de satietate gratias referant. ut dum eis aliqua exterius gaudia reseruantur. ad interiora gaudia consentire facilius ualeant. Nam duris mentibus simul omnia abscidere impossibile esse non dubium non est. quia is qui summum locum ascendere nititur gradibus uel passibus non autem saltibus eleuatur. Sic israhelitico populo in egypto dominus se quidem innotuit. sed tamen eis sacrificiorum usus que diabolo solebat exhibere in cultum proprio reseruauit. ut eis in suo sacrificio animalia immolare preciperet. quatenus cor mutantes aliud de sacrificio amitterent. aliud retinerent. ut et si ipsa essent animalia que offerre consueuerant. uerumtamen deo hec et non idolis immolantes iam sacrificia ipsa non essent. Hec igitur predicto fratri dilectionem tuam necesse est dicere. ut ipse in presenti illic positus perpendat. qualiter omnia dispensare debeat.

GG Petro episcopo ydrontino.

OPORTUNUS ABBAS xlviii. monasterii leucii quod in quinto romane urbis miliario situm est. seruaria eiusdem martyris que de ecclesia nominis ipsius dicta ut astruit furto ablata sunt sibi. denuo postulat debere concedi. ut in loco eodem recondantur. Et ideo fraternitas karissime. quia eiusdem beatissimi martyris corpus in brundisina ecclesia cui uisitationis impendis officium esse dinoscitur prefati uiri desideriis ex nostra preceptione curet obedire. ut in deuotione quam postulat sortiatur effectum. Mense augusto. Indictione iiii.

GREG. Bonifacio defensori de CORSICA. xlviiii.

EXPERIENTIA tua non sine culpa est. quod aleria atque adiacentium ciuitates Corsice diu sine episcopis esse cognoscens. clerum et plebem earum ad eligendum sibi sacerdotem distulerit commonere. Que quoniam sine proprio amplius non debent esse rectore presenti auctoritate suscepta clerum et plebem singularum ciuitatum hortari festina. ut inter se dissentire non debeant. sed uno consensu unaquaque ciuitas sibi consecrandum eligat sacerdotem. et facto decreto ad nos qui fuerit electus adueniat. Si autem in uno consentire noluerint. sed in duorum se electione diuiserint simul cum decretis ex more ad nos factis adueniant. ut requirentes de uita. actu et moribus eorum. is qui utilior uisus fuerit ordinetur. Quia uero multi illic pauperes opprimi ac pati preiudicium perhibentur experientia tua sollicitudinem gerat. et guari eos contra iustitiam non permittat. sed ita studeat. ut nec agentes contra iustitiam impediri. nec hii contra quos agitur iniuste ualeant dispendium sustinere. Preterea peruenit ad nos quod quidam clericorum te illic posito a laicis teneantur. Quod si ita est. tue hoc culpe noueris reputari. quia hoc fieri si homo esses non habuit. Et ideo de cetero sollicitudinem te habere necesse est ut hoc fieri non permittas. sed si quis contra clericum causam habuerit. episcopum ipsius adeat. Qui si forte suspectus fuerit. executor uel ab ipso. aut si et hoc actor refugit a tua est experientia deputandus qui partes sibi mutuo consensu iudices compellat eligere. a quibus quicquid fuerit diffinitum. ita uel tua uel episcopi sollicitudine seruata lege. modis omnibus compleatur. ut non sit unde se possint litigiis fatigare.

GREG. Barbare et Antonie. L.

SUSCEPTIS epistolis uestris omnium cognita uestra sospitate letatus sum. atque omnipotentem dominum deprecor. qui uos et a malignis spiritibus in cogitatione et a peruersis hominibus atque ab omni contrarietate sua protectione custodiat. sicque uos cum omni timore sua gratia dignis coniunctionibus ordinet. ut omnes nos in uestra ordinatione letificet. Vos autem dulcissime filie mei adiutorio spem uestram ponite. et sub umbra defensionis illius semper et orando et bene agendo malorum hominum insidias declinate. Quecumque enim humana solacia uel aduersitates fuerint. nulle sunt. nisi aut eius gratia protegat. aut eius offensa perturbet. In nullo igitur hominum spem ponatis. totam mentem in fiducia dei omnipotentis astringite. Nobis igitur dormientibus ille uos proteget. de quo scriptum est. Ecce non dormitabit neque dormiet. qui custodit israel. Quod autem ad beati Petri apostolorum principis limina festinare uos dicitis. opto uos nimis et estuanti desiderio expecto. ut dignis meritis iunctas uos in eius ecclesia uideam. quatenus et uos de me solamen aliquantulum et ego de uestra presentia non paruam letitiam acquiram. Uiro autem reuerentissimo fratri meo Iohanni episcopo et romano defensori causas uestras studui commendare. atque credo ut debeat deo auctore perficere. Xenium autem uestrum